

Dissertatio inauguralis sistens casum singularem morbi tuberosi in nosocomio medico-chirurgico Gottingensi observatum / auctore Iosepho Adelson.

Contributors

Adelson, Joseph.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Gottingae : Typis C. Herbst, 1822.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p8tfjzgz>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

10

DISSERTATIO INAUGURALIS
SISTENS
CASUM SINGULAREM
MORBI TUBEROSI

IN NOSOCOMIO MEDICO-CHIRURGICO GOTTINGENSI
OBSERVATUM

AUCTORE

IOSEPHO ADELSON

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE

ROSSO - GEORGENBURGENSI

Cum Tabulis duabus aenëis.

GOTTINGAE, TYPIS C. HERBST, TYPOGR. ACAD.

MDCCCXXII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1913

PHYSICS DEPARTMENT

MOORE FURNISH CO.

CHICAGO, ILL.

1913

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

MOORE FURNISH CO.
CHICAGO, ILL.

CHICAGO, ILL.

1913

PATRI OPTIMO
I. I. ADELSON
GRATUM OB INNUMERA BENEFICIA
ANIMUM

ATQUE
CUM VOTIS OMNIMODAE PROSPERITATIS
PIETATEM

ET
OBEDIENTIAM
TESTATURUS

EXACT OPTIMO
J. R. A. DE L. S. O. N.
GRATUM ON LAMINARIA LAMINARIA

ALONE
STATIMONTE PHOTODUPLICATIONE
ET

BY
MARTINUS
L. S. O. N.

PRAECEPTORI DESIDERATISSIMO

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

C A R O L O H I M L Y

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

PROFESSORI PUBL. ORDIN. IN ACAD. GEORGIA AUGUSTA

BRITANNIAR. HANNOVERAEQUE REGI AB. AUL. CONSIL.

NOSOCOMII ACADEMICI DIRECTORI

ORDINIS GUELPHORUM EQUITI

PLURIUMQUE SOCIETATUM SCIENTIARUM SODALI

VIRO DE REPUBLICA

SCIENTIA AC SE IPSO MERITO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILLINOIS

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
CHICAGO, ILLINOIS
1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILLINOIS

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1911

P R A E F A M E N.

Quum solennes ex more maiorum ritus postulent, ut qui summos in arte salutari honores ambierit, inaugurale eruditionis specimen publico examini submittat, non ita male huic rei satisfacere mihi visus sum, dum thema elaborandum eligerem, quod nec inutile mihi, nec aliis ingratum esse posset. Utrique rationi casus hic memorabilis, cuius accuratiorem observationem praeceptoris dilectissimi summeque colendi Illustriss. HIMLY auspiciis debeo, probe respondere videtur, quum largam cogitandi materiem offerat et singularitate multis praeferendus sit.

Ne quis autem miretur, quod generalem adeo titulum usurpaverim, necesse erit, ut praemittam, nullum, quem

omnino hic aequiparet, morbum mihi innotuisse, quare virorum doctiorum arbitrio rem diiudicandam tradere maluerim. At si non parem in conscribendo et elaborando illo laudem meruerim, quam pictorem delineando sibi parasse fatendum est, lectoris benevoli indulgentiam tum ob rei ipsius novitatem, tum ob adversantes tironi difficultates facile nacturum me esse spero.

HISTORIA MORBI.

Theresia Schmalstich, septem annorum puella, Desingerodae, pago Gottingae vicino, a pauperibus parentibus nata, ad quartum usque aetatis annum, quamvis semper tenerae constitutionis fuerat, bona valetudine fructa est. Quo eodem tamen anno exanthematicus eam morbus invasit, qui plures tum temporis eiusdem loci infantes corripuit, partimque morte abstulit, cuius quidem nomen certum reddere nequeo, quum parentes, qui suis negotiis occupati minus infantem curare potuerant, symptomatum ignari communi pluribus exanthematibus nomine, *Friesel*, eum signarent. Ex hoc tamen morbo post plurium hebdomadam affectionem sine ullo artis auxilio reconvaluit, quin ulla noxa inde remansisse videretur.

Non ita multo post autem prima iam debilitatis systematis lymphatici, exanthematicorum morborum tam crebrae pedisequae, vestigia apparuerunt, quum glandulae fugaces in cervice orirentur, quas capitis impetigo exciperet. Qua quidem impetigine infans, in ceteri tamen corporis satis bona valetudine, plures per menses vexata erat, cum parentes munditiei causa, ut aiebant, noxium haud raro consilium caperent, comam abscindendi, quoinde celerrime evanuit.

Iamque quinto aetatis anno in dextro femore, interiori magis latere vastoque interno musculo fere medio, tumor parvulus subito apparuit, a fabae magnitudine ad eam nucis iuglandis accrescens, e cutis superficie parum eminentens, tactu durus, cumque integumentis, quae rubicundum super eo colorem acceperant, mobilis, quique neque in origine ipsa, neque externa pressione adhibita ingratum doloris sensum excitaret. Qui ubi dictam magnitudinem esset assecutus, absque suppuratione sponte iterum decrescere coepit, tandemque relicta, quo fuerat, foveola penitus aufugit.

Vixque vero tumor hic evanuerat, quum dextra in gena, inferiori processus cygomatici maxillae superioris in margine, alius gigneretur, qui paulatim increscendo eandem atque ille magnitudinem attingeret. Isque tamen

cum continuo increfcere videretur, et tum fua fuper cutem elevatione, tum eccellente prae ceteris partibus rubore, faciem aliquid deturparet, non potuerunt parentes, quin vicinae urbis chirurgum ea de re confulerent. Qui quidem locale malum videre opinatus, remediis corrodentibus et causticis repetita vice uti fe non abftinuit. Incertum haccene curandi methodo, an potius et fua fponde, ficuti prior femoris, hic quoque tumor temporis tractu difparuit, foveamque planam reliquit, quae et poftea confpicua erat.

Propemodum autem parentes sanam putabant filiam, quum tertio etiam unus in laeva nafi parte, et quatuor in gena fuftra tumores, pollicis circiter latitudine ab invicem remoti, eadem ac qua dextra affecta fuerat regione, prorumperent, dum a macula quafi rubra incipere videntur. Tandem extremitates quoque eadem mala perpeffae funt, quippe cum fimilia pedetentim tubera in dextri lateris primum brachio et antibrachio, deinde in femore et crure fe attollerent, lentoque paffu progredierentur.

Quia vero parentes mali diuturnitatem cognoverant, nec de doloribus, nec alia aegritudine infans querimonias agebat, imo ceteroquin fana credebatur, iidem a medicorum confultatione ob rerum, quibus verfabantur, anguftias

[2*]

abhorruerunt, eorum remediorum usu acquiescentes, quae ab amico aut vicino ipsis suaderentur.

Tantum de morbi origine secundum patris relationem.

Fuit 7. Ian. hui. anni, biennio post primam mali apparitionem, quum idem prima vice cum filia clinicum medico chirurgicum, quod praeceptoris maxime venerandi Illustriss. HIMLY sub auspiciis floret, auxilium petiturus adiret.

In sinistra puellae gena tumorem conspeximus paullo inaequalem, ab inferiore zygomatis margine ad eam maxillae inferioris pertinentem, colore intense rubro, a digiti pressu parum moderato, vasculisque cutaneis hic illic satis conspicuis, ita ut externa facies angiectasiam facile aemularetur. Tactu explorantibus duritiem obtulit, nec in foveam comprimi passus est, simulque intermedia excavatione, etsi non ita manifesta, quadruplicem originem prodidit. Cum cute mobilis fuit, excepto eo loco, quo maxillae inferioris marginem occupaverat, ubi osteosteatomati haud dissimilis, cum ipso osse arcte cohaerere videbatur. Ceterum non introrsum quidem imminuit, at prohibuit tamen, quominus eo in oris latere ciborum masticatio perfici posset; neque autem maxillae motu, neque graviori etiam pressione dolor exortus est. Eandem vero

indolem reliqui etiam tumores, qui nasum et extremitates obsidebant, quorum maximi, alter in condylo femoris dextri interno, alter in inferiori surae parte, ovi columbini magnitudine gaudebant, praebuerunt; eo nonnisi dispares, quod cum integumentis communibus undique moveri possent, et colore levius rubro superfunderentur.

In hac morbi diuturnitate, tenera corporis constitutione, humili, quo paterna domo fruebatur, victu tantaque et crescente indies productione spuria omnino miratu dignum fuit, vires infantis tantopere etiam fuisse conservatas. Etiam si enim palleret facies, et corpus emacuisset, nondum aperta tamen febris hecticae signa adfuerunt, quum naturalis linguae rubor, appetitus modicus nec aucta sitis, concoctio bona, excretio alvi conveniens, sudores nulli, pulsusque modice frequens, siquidem, ut facile collucet, paullo debilior, animadvertendi essent. Quod omne, ni graviter erro, ei potissime debebatur, quod sanis infans digestionis organis doloribus hucusque caruerat, unde somnus et appetitus potuissent turbari.

Interim examine strenue instituto, vix certa huius morbi causa innotuit; syphilitici certe contagii, quod multifarias non ita raro malorum formas aut per se, aut aliorum morborum connubio gignit, infectio a parentibus nequaquam concessa est. Pater, qui faber est murarius, a

prima iuventute nunquam morbo se laborasse affirmabat; a matre tamen, quippe quae, etsi nunc robusto corporis habitu, infantili aetate crebris glandularum inflammacionibus capitique impetigine affecta fuerat, familiaris scrophularum dispositio in proles transiisse videbatur. Namque ex tribus, quibus misera gaudebat, sororibus duae, e priori matrimonio, in quo pater cum uxoris hodiernae iam sorore vixerat, ortae, et externo corporis habitu, et capitique impetigine, tertia autem et germana soror, vix dum annum nata, tumida pone maxillam inferiorem glandula scrophulosi morbi indicia tulerunt.

Propter tam singularem morbi formam puella in nosocomium recepta est. Quumque autem vires satis bonae viderentur nec diarrhoea impedimento esset, iuxta levem sed nutrientem diaetam parvae hydrarg. mur. mit. doses porrectae sunt, cuius remedii usus ob praecipuam, quam exercet in systema lymphaticum vim, agnitamque inde in coercenda productione recente utilitatem statui maxime convenire et respondere credebatur. Iam a primo fere die puella, domum revertendi desiderio ancta, cibis se abstinere coepit, moxque de alvi, in pressione tamen non adeo sensibilis nec tensae, doloribus conquesta est, donec, arteriarum ictibus auctis, sanguis e naribus efluxit, et ascaris lumbricoides ore eiectus est. Ex quo uno quum in socios plures esset coniectandum, qui in aucta nunc corporis

sensibilitate alvi dolores perque consensum epistaxin provocarent, quae eo facilius oriri debebat, quia suppressis vel degeneratis vasis externis maior maiori vi sanguinis moles in arteriam maxillarem internam, eiusque ramos irrueret, hydrarg. muriat. mit. dosibus radice ialappae et valerianae aliquot grana addita sunt. Altero iam die alvo leniter mota plures lumbrici abierunt, quoinde desiit dolor, nec narium haemorrhagia constitutioni maxime noxia, quae aliquoties interea redierat, amplius repetita est. Pristino igitur statu restituto pulveres priores continuati.

Memoratu dignum est, primis statim diebus tumores, praesertim qui ad genu et malam erat, evidenter decrevisse, ita ut proximi singulas quasque portiones tactu melius discernere liceret; quod sin minus hydrargyri efficaciae, seu productae eo resorbitioni soli adscribere voluerim, nullo tamen modo cutis, propter imminutum telae cellulosae tonum, collapsui tribuendum fuit. Quanta autem decreverant celeritate, tanta ad prius volumen reverterunt.

Quum pater negotiorum causa in nosocomio diutius morari nequiret, nec sola manere perferret puella, pulveres rariori securitatis causa dosi dare iussus, praestita fide, ut finito statim pulverum usu, aut prius etiam, si quae

alicuius momenti mutatio evenerit, pro tempestatis ratione aut solus, aut cum filia venturus esset, d. 22. Ian. domum rediit.

D. 29. Ian. retulit idem, aliquot quidem extremitatum tumores decrevisse, faciei autem tumorem esse auctum; ceterum infantem satis bona valetudine frui. Quare pulveres repetiti.

D. 5. Febr., quo die aegrotata in clinico iterum producebatur, patris de incremento faciei tumoris relationem cum vero congruere vidimus, dum latiori utrinque ambitu ad oculum aurisque concham tenderet, eumque in modum, ut palpebrarum rima admodum imminueretur, et trago represso meatus auditorius coarctari et coangustari inciperet. Ceterum tantum abfuit, ut extremitatum tubera decreverint, ut potius volumine maiori apparerent. Interea tamen corporis macies non aucta, nec ciborum appetitus et concoctio impediti ac turbati fuere. Quum nulla etiam salivationis appropinquantis signa nec diarrhoea vel alia impedimenta obvia darentur, pulveres reiterati sunt.

D. 19. Febr. tamen, quum pater redintegro continui tumorum incrementi nuntium ferret, hydr. mur. mit. loco hydr. stibiato sulphuratum adhibitum est, tum quia pater

saepius veniendo, aut infantem secum ducendo impedi-
batur et diu iam illud praeparatum sumtum erat, tum quia
vires infantis plus plusque languescebant. Insuper, dum coeli
tempestas faveret, balnea tepida ex herbis aromaticis lau-
data sunt.

Ad d. 2. Mart. sub horum medicaminum usu nec forma
nec volumen tumorum sese immutaverat, et omnino sta-
tus fere idem observabatur, inde illorum adhibitione per-
severatum.

Eo maior autem d. 17. Mart. mutatio reperiabatur, ad
quem usque diem genae tumor non solum adeo proces-
serat, ut a maxillae inferioris margine tempus transgre-
diendo capillum attingeret, meatumque auditorium antico
pariete reverso penitus clauderet, sed palpebras etiam ita
deformes reddiderat, ut tumidae prominere, perfectaue
iam coarctatae rimae obstructione omnem lucis aditum in-
terciperent. Iamque eVecti ad summum magnitudinis gra-
dum tumoris longitudo sex et dimidiam, latitudo contra
quinque fere uncias continuit.

In medio paululum subsedisse videbatur, color vero
idem manserat, praeterquam quod nonnullis in locis, prae-
cipue in inferiori versus aurem parte et palpebra inferiore
saturatior magisque violaceus evasisset. Nasi tumor ab

apice ad radicem fere usque pertinuit, et colore perlucidiori vestitus eam naso a sinistro latere speciem praebuit, ac si totus informem in massam degenerasset. Nec minus quoque extremitatum tubera increverant, quorum quod summum brachium et inferiorem suram tenebat; ovo galinaceo dissecto ambitus ratione vix cederent.

Iamque iam, quod diu praevidendum erat, eo clarius enituit, genae saltem tumorem, quippe horribilem vastitie, non posse dissipari, sed suppurationem, quae iam minis instabat, esse inevitabilem, eamque eo magis metuendam, quum aliquo ex tempore vires cito labefactari videbantur. Ad iuvandam itaque naturam, diaeta quam maxime nutriente commendata, cataplasmata emollientia praescripta sunt*).

D. 25. Mart. tamen non ita magnitudinem quam formam variaverat; nam pro exulceratione expectata, in medio, ubi iam antea, ut modo diximus, subsederat, ita collapsus vel corrugatus fuit, ut nulla fere cum re melius,

*) Etsi quidem rebus ita comparatis, quandoquidem summum magnitudinis fastigium faciei tumor adeptus erat, eius delineationem tum temporis fieri lubens curassem, tamen, cum patri aegrotae non tantum a negotiis vacaret, coactum me vidi, idem in d. 25. Mart. differre. (cf. Tab. I.)

quam languescente cum fructu comparari potuerit. Eodem autem in loco crustulis aut squamulis tenuibus, ex nigro griseis obiectus apparuit, quae inde pollicari latitudine in peripheriam tendebant. Haecque crusta in medio et quo ad inferius vergeret crassissima, versus latera ita fuit tenuis, ut paulatim omnino desineret. Nasi etiam tumor hic illic crustulis obduci coepit. Verum et color saturationis finem consecutus erat, dum ab infima tumoris parte, qua maxillae inferiori insidebat, ad aurem usque, et a palpebra inferiore oblique deorsum ad crustarum usque initium in coeruleum abiret, quin tamen ulla temperaturae, aut duritiei permutatio oborta esset. Ceteri tumores plane iidem manserant.

Ab eo tempore morbus velociori passu progressurus esse videbatur, dum animi hilaritas ciborumque appetitus magis magisque diminuerentur, arteriarum ictus frequentiores et celeriores fierent, et corpus maiori indies macie corriperetur, ita ut unica propemodum superesset indicatio, reliquas corporis vires fulciendi et servandi, ne suppurationi, si quae oriretur, infans statim succumberet. Qua quidem mente Tinct. ferri muriat. data est, cuius usum nec systema sanguiferum nimis activum, nec nimia digestionis debilitas aut alicuius organi affectio contraindicaret, quamque constat maximum esse remedium, ad

naturae expellendis glandulis scrophulosis occupatae succurrendum.

D. 14. April. pater retulit, nonnullis iam diebus post medium genae tumorem ruptum et exulceratum esse, indeque conum quasi album eminuisse, quem cum forcipe protrahere conatus, in qua rudi etiam operatione nullum puella dolorem perciperet, eruere non potuerit.

Quo cono suppuratione deleto vorticem purulentum ad dimidium fere iterum coaluisse, et prope eum exortum esse alium, ex quo praeteritarum una nocte merum sanguinem effluxisse, ita ut lodix et indusium maduerint; quod in prima quidem etiam tumoris apertura, attamen minori copia ante duas hebdomades accidisset. Ceteros tumores esse eosdem, nisi forte brachii ille increverit.

Quod vero post ferri usum nihil evenerat, unde contraindicatio fieret, nec enim ex haemorrhagia hac ullam desumere licuit, in eodem nihil mutatum est.

Verum enim vero quum interea feriae appropinquassent, et pater frustraneum iter sese facturum esse putaret, mensis integer absque ullo nuntio praeterfluxit, donec, ut de vita aut morte certior fierem, rerumque simul domesticarum condiciones cognoscerem, fine Maii eo pro-

ficiscendi consilium cepi. Vivum quidem reperi infantem at tali statu versantem, ut certa mors praevidenda esset.

Totum enim corpus magis emaciatum, et Hippocratica fere ab altero latere facies, ab altero foedo ulcere deturpata fuit, quod totum fere locum, herpeticis crustis antea obiectum corripuerat, vixque infantili pugno poterat expleri. Margines eius inaequales, duri, acuti, nec colore distincti, fundus, ex crescentiis fungosis nusquam luxuriantibus, planus, ea tamen ratione inaequalis fuit, quod ulcus infra zygomate altius peteret, primoque intuitu in ipsum os penetrare videretur.

In superficie autem modice tenax et subflavum pus secernebatur, quod totum per morbi decursum consistentiam et colorem retinens genuino vapore, paululum dulci atque a venereo diverso, excelluit. Ceterum circumdatus ulceri tumor integrum servarat duritiem, attamen concidisse visus est, quum aequalior antea et tensa magis superficies sulcis exarata cerneretur, qui maxillae potissimum inferioris in angulo non dissimilem gyris cerebri formam induerant. — Itidem et color decreverat, iis tamen in locis, in quibus coeruleo proxime accesserat, maxime etiamnum saturatus. Nasi tumor iam diutius squamulis obsessus, completam in crustam transierat. Et narravit pater, longiori iam ex tempore pedis primum, deinde brachii tubera in suppurationem terminata esse, quae autem, ubi

inspicerentur, paullo imminuta, non ulceris forte, sed eandem exacte flaccidam formam exhibuerunt, quam faciei tumor, priusquam suppuratio coepisset, induerat. —

Atqui locali conditione ita constituta, universalis etiam non parum in peiorem prodierat inque finem vergebat.

Etenim corpore magis etiam emaciato, fessitudo ingens, et manifesta febris hecticae signa apparuere, quippe quum ciborum appetentia imminuta sitis augeretur, pulsusque frequens, vespertino tempore increscens, et diarrhoeae colliquativae initia observarentur.

Ut vero invito olim animo aegrotula in nosocomio manserat, ita avido nunc ad recuperandam sanitatem in eodem recipi cupiit; quod d. 30 Maii *) factum est, ad quem usque diem nihil accidit, nisi quod ulcus paulatim ampliaretur.

Iam vero de salute illius, ut pridem factum, penitus desperandum fuit, omnisque curae ratio tali nonnisi modo

*) Hocque die alteram capitis delineationem fieri institui. —
(cf. Tab. II.)

ineunda, ut graviora hecctices symptomata, et diarrhoea nominatim, quae vires celeriter exhauriret, multorumque medicaminum roborantium, utut potissime indicatorum usum prohiberet, quantum fieri posset, amoverentur. Quem quidem in finem radic. columbo decoctum praescriptum, cuius etiam continuato usu ad d. 14. Iun. diarrhoea, siquidem non omnino sublata, admodum tamen mitigata est.

Eodem autem die aucta vi rediit; quare radici columbo, quae sola resistere non potuerat, cortex cascariillae adiunctus est, quoin postridie disparuit. Verum tamen insequente nocte gravius etiam malum, vel unde propius periculum minis instaret, accidit, dum ruptum in superiore ulceris parte vas sanguinem guttatim, at copiose satis emitteret; quod praeter omnem fere omnium expectationem factum est, quum in tanta partis degeneratione ac duritie ulceris ipsius aspectus et conditio vix non levissimam haemorrhagiae instantis sollicitudinem sustulissent. Sanguinis iacturam, etsi nimiam forte fecerit mater, quae in genam prolabentem linteoque exceptum ad quinque circiter uncias aestimabat, auctae frequentia et celeritate arteriae satis prodiderunt.

D. 6. Iun. igitur iuxta mixturae illius cum fructu adhibitae usum aq. laurocerasi cohobata porrecta est, non

modo quod in resolvendis indurationibus praecipuam sibi laudem paravit, sed etiam quia corporis receptivitati non incongruens, sedato sanguinis motu haemorrhagiam praecavere poterat. Tantum tamen abfuit, ut velocem sanguinis cursum frenando speratum auxilium praestiterit hoc remedium, ut subsequente etiam nocte iterum haemorrhagia oriretur, quam et tertia meridiano tempore excepit.

Interea et aliud sese associavit malum, pungens scilicet et lancinans post affecti lateris aurem dolor, noctu praecipue recurrens, isque ita interdum gravis, ut somno expergefata infans lacrymas retinere non valeret, quin vitiosi quidquam eo in loco conspiceretur, aut premendo ille increceret.

Haud dubie quidem is dolor rami auricularis posterioris nervi facialis affectioni adscribendus fuit, quum eius directionem secutus in foraminis stylomastoidei regione desineret, nec tamen tensione provocatus, quod periodice rediit, et ante tumoris suppurationem in maiori longe tensione non adfuerat.

In continuo ulceris progressu praescripta d. 6. Iun. medicamina ad d. 14. Iun. continuata sunt, quo die, dum diarrhoea ulterius non vetabat, cascarillae loco corticem chinae addere placuit; quumque recens haemorrhagia,

quamvis prioribus levior evenisset, pulvis stipticus paratus est, quo tamen non uti contigit, cum eodem et altero die leve nonnisi sanguinis stillicidium sequeretur. Ulceris autem fines nunc ita fuerunt dilatati, ut ne pollicaris quidem tumoris circulus restaret; quoque magis devastatio ad palpebram inferiorem tendebat, eo magis palpebrae tumor collabi sui que ipsius pondere demitti coepit, ita ut d. 17. Iun. per apertam iterum rimam incolumis oculi bulbus elucesceret.

Eodem die accidit, ut quae nasi tumorem hucusque obtexerat crusta, et quae pure hic illic profluente subter scaturire videbatur, sponte decideret, et pro mirum! non superstitem forte tumorem vel ulcus, sed planam relinqueret foveam, quam epidermis recens iam investierat, ita, ut formam pristinam nasus recuperaret.

Praeter lumbricorum aliquot, qui nullas molestias induxerant, eiectionem posteris diebus nihil evenit, quod aut nova remedia aut veterum immutationem exigeret; quare formula eadem servata est, attamen d. 21. Iun. ea ratione mutatio facta, quod, cum radix columbo non amplius necessaria esset, imo volatiliora medicamina postularentur, hac omissa, cortici peruviano radix caryophyllatae adiiceretur.

Vulneri simul alligando, quod solo linteo carpto hactenus factum erat, mixtio e tinct. myrrhae, extr. chamomill. et calendulae adhibita est; quorum remediorum usus externus, etsi non multam opem pollicebatur, ulceris tamen insensilitati et duritiei, quippe maiori stimulo aptis, conducebant.

Iamque d. 26. Iun., postquam laxior evaserat alvus, metu ne vehementior diarrhoea oriretur, ad cascarillae corticem refugere opus fuit.

Quamvis ex illo tempore nec novum sanguinis profluvium nec diarrhoea etiam vires diutius exhausserant, earum tamen prostratio ob durantem in debili assimilatione humorum iacturam ex tanto ulcere, quod totum fere faciei dimidium ipsaque ossa corripuerat, ita increverat, ut vicinam mortem scenam clausuram esse praevideri posset.

Nihilominus tamen praeter opinionem accidit, ut iam d. 28. Iun. animam miserrima exhalaret, cum hora quidem ante, quam placida mors nullis intermixta convulsionibus oculos clauderet, de alvi doloribus aliquoties conquesta, sorori astanti, sive illis vexata, sive incautorum de dubitanda saepius reconvalescentia patris sermonum memor, instantem sibi mortem praedixisset.

 S E C T I O .

Cadaver, cuius sectio quadraginta octo circiter horas post mortem instituebatur, eximia macie conspicuum tuberibus istis extremitatum prominentibus, qui colorem non mutaverant, et foedo imprimis genae alterius ulcere tetrum oculis et vix non monstruosum spectaculum prae-
buit.

Ulceris, quod dimensi sumus, longitudo ab ima, qua incepit maxillae inferioris margine usque ad summam in tempore apicem quinque et dimidium pollicem, latitudo autem a trago auris ad externum oculi canthum tres et dimidium, et ab illinc usque ad angulum oris quatuor pollices continuit, altitudo denique ea fuit ut ipsa faciei ossa denudata et carie corrosa conspicerentur.

[4*]

Proximis ulceri partibus dissectis singularis earum in massam albicantem, exsanguem, duram nec corio absimilem degeneratio in conspectum cecidit, quae quidquid propemodum eiusdem faciei lateris supererat, quatenus intumescencia ac duritie morbo participasse se proderet, ita fere homogeneous reddiderat, ut accurata perscrutatione musculi vix nisi fibrarum striis cognoscendi et distinguendi essent.

Parcitur tamen fuit contiguae parotidi et glandulis submaxillaribus, utpote quae nec volumine nec duritie auctis, nec mutata alioquin structura a normali statu discreparunt. Ita et oculus ipsum dissectae palpebrae degeneratae sanum revelarunt, quantum scilicet ex conditione eius externa conicere licuit.

Facta per tumorem, qui inferiorem surae partem obsederat incisione, lymphae continuo aliquot guttulae promanarunt, distentisque incisurae marginibus eadem illa singularis deformatio in hiante tumore apparuit. Quum vero, ut de propria eius sede et quo radices affixas haberet loco certiores fieremus, latiori ambitu cutis sedulo cultro solveretur, ubi eo perventum est, una cum ipsa cute, cui grumosus adeps hic illic substratus erat, totum tumorem descissum auferre licuit, ita ut fascia surali et musculis subiacentibus sanis et integris omne vitium hoc

quidem in loco cuti et subiectae telae mucosae solis
competeret.

Quod autem in hoc, idem et in ceteris tumoribus,
quibuscum simili modo actum est, animadvertere contigit,
dum eadem ad unum omnes sede et compage gauderent.
Quae quidem compages accuratius spectata cutis sexies
ad decies fere crassioris, quam naturali statu, imaginem
plane retulit, et quibusdam in locis horizontalibus laminis
constipata esse visa est, quibus ipsis et paulo maiori la-
xitate tumorum in extremitatibus contextus ab eo faciei
deflectebat.

Ceterum neque in inguine nec sub axillis nec cervi-
cali in plexu glandularum ulla induratio animadvertenda
fuit.

Potiorum trium cadaveris cavorum vel viscerum potius
iis contentorum disquisitio de morbi origine et decursu
praeter opinatum vix quidquam exhibuit.

Integumentis capitis sublatis cranioque amoto dura
mater apparuit, cuius sinus ac vasa sanguine vacarunt,
cuius et parcam tantummodo copiam pia mater ipsaque
cerebri substantia, quae alias a naturali statu non deerra-
verat, continuerunt, quare pallidiorem solita speciem induc-

rant. Ventriculi cerebri, imprimis laterales, magna satis seri limpidi inter agonem congesti copia impleti, plexus autem eorum choroidei propter, quam modo diximus, piae matris, ut cuius continuatione gignuntur, sanguinis inopiam pallidiori aspectu fuerunt. Nervus opticus sinistri oculi, quem propter sui lateris affectionem praecipua indagatione dignum putavimus, ab insertionis in oculum loco ad primam usque originem incolumem nec diversum ab altero reperivimus. Idem et de trigemino observavimus, cuius tamen in faciei musculos decursum et cum nervo communicanti coniunctiones, tum ob ulceris ipsius devastationes, tum ob reliquarum partium, qua implicabantur, indurationem et degenerationem cultro ulterius persequi non licuit.

Reiecto sterno utriusque pulmonis cum pleura adhaesiones in conspectum venerunt, quae ligamentorum instar hic illic a pulmonum superficie abeuntes tanta erant crassitie, ut nonnisi cultri ope dirimi possent. Ipsa tamen pulmonum substantia solita aliquantulum albidior, tactu mollis ac spongiosa, nullibi tubercula vel alia vitia obtulit.

Pericardium eodem ac cerebri ventriculi liquore scattuit, cui cor, dextro ventriculo stagnante sanguine refer-

tum, nec magnitudinis nec structuræ ratione vitiosum quasi innatabat.

Post dissectos tenues abdominis musculos, qui viridi iam colore imbui coeperant, eiusdem cavi viscera normali situ conspeximus. Intestina tenuia aequè ac crassa vacua et aëre extensa fuere; et sicuti in externa corporis superficie, duod supra tetigimus, ita et mesenterii inter laminas nusquam glandularum lymphaticarum tumores occurrerunt. Hepar satis magnum nec modum tamen superans in declivioribus, quo sanguis demissus fuerat, locis obscurioribus plagis obductum, ceteroquin subpallido colore tinctum, nullas deviationis notas reddidit; annexaque ei vesica fellea bilis, qua turgeret, ex nigra viridis et satis spissae ubertatem facta incisione patefecit. Ita et reliqua viscera abdominis systemati chylopoetico adscripta, pancreas, lien etc. integra et sana se ostenderunt. Neque uropoeo in systemate ullum sublatae integritatis vestigium sensibus nostris obvium se dedit, nisi quod vesica urinaria, paucò lotio impleta, in interna superficie maioris quam alias ruboris speciem exhiberet.

Capite aliquamdiu macerato cariem conspeximus, quae
 arcu zygomatico penitus deleta, iam maxillam inferiorem
 et superiorem et ipsum adeo orbitae pavementum in-
 vaserat.

Nec narratu indignum est, dentem molarem secun-
 dum, quocum evolvendo puellam occupata fuerat, mutato
 situ alveolam a latere perforasse, ita ut cum corona ip-
 sam genam peteret.

EPICRISIS.

In singulari hoc casu neminem vel paucos nonnisi fore spero, qui mirentur, si in huius capitis exordio candide profitear, me huius morbi, quippe cuius causae tam absconditae laterent, indolem nondum ad amussim penetrasse, imo si et de eo diu dubium haesisse adiciam, cui morborum generi eum adscribere vel quo nomine signare vellem. Urget enim ab altera parte ipsa casus singularitas, ab altera parte similibus morborum, quae non exigua est, turba, quorumque diagnosi eo difficilior, quo quis minus autopsia et experientia nititur, difficultatibus me implicat et premit.

Quod singularitatem attinet, praeter unum ALIBERTI casum, quem pluribus infra nominabo, vix similem alium ab auctore descriptum reperire potui. Etsi id fortassis non neglectae quidem, sed male locatae a me operae tribui possit, dum versatori in id generis litteris facile plures eiusmodi casus innotuerint, ea tamen est rei conditio, ut satis veniae patrare posse arbitrer. Namque sicuti nervorum inter morbos tot obtinent varietates, ut nunquam fere iisdem symptomatibus incedant, sed proteiformis alius in alium transgrediatur, ita et cutis morbi ac deformationes, ad quos, quod obiter hic tetigisse sufficiat, casus noster quodammodo pertinere videtur, multifariis formis absolvuntur, ut adeo vix in duobus individuis idem morbus et iisdem causis provocatus pari forma ac decursu gaudeat. Exemplo sint variae herpetis species, quae mox summam tantum cutem invadunt, mox altius etiam penetrant, nec subiacentibus etiam partibus sese abstinant.

Cuius quidem rei causas investigantes, sufficientem eius rationem in propria affectorum individuorum constitutione, aetate, vitae genere et victu, morbis praeteritis, ac praesentibus quibuscum recens complicatur, et ex ipsius denique morbi vehementia repetere non nequimus, utpote quae, pro sua quodvis diversitate aut cum aliis combinatione ac conflictu, formae et exitui vel huic vel alii favent.

Quumque vero facilius est horum momentorum dignitatem agnoscere, quam praesentium vires et quatenus agant cognoscere et perpendere, non raro forsitan accidit, ut idem quoad indolem et naturam morbus, sed a solita imagine propter diversum illorum momentorum influxum deflectens, pro alio prorsus habeatur aliudque nomen accipiat.

Ne igitur eundem ad scopulum adpulisse dicamur, satius erit, ut priusquam nostram opinionem demus, eorum morborum diagnosin leviter perstringamus, qui ob aliquam similitudinem facile cum nostro hoc confundi potuerint; quod et ideo e re fore collucet, ut, si quae in morbi historiae relatione lacuna manserit, ea impleatur et ad illustrandum casum conferat.

Et primum quidem de *tumoribus cysticis*, et *steatomatibus* in specie, loquendum erit, quibus maior fortassis est nostro cum casu similitudo, quam primo intuitu videatur. Insident enim iisdem partibus, lente ac sine dolore oriuntur et increscunt, eandemque duritiem et magnitudinem, imo saepe maiorem, nanciscuntur, dum et simul plures minores tumores, quod de faciei isto tumore diximus, unum maiorem nonnunquam constituunt *). Ita

*) cf. J. ARNEMANN, *System der Chirurgie*, Th. I. Abth. 2. S. 488.

et initio basi mobili gaudent, serius, ubi maius volumen adepti sunt, cum partibus vicinis coalescunt, et denique cutis etiam, quamvis initio quidem non alieno colore induta, varicosis vasorum extensionibus rubicundam vel coeruleam speciem accipit. Neque id etiam huic analogiae adversaretur, quod nostro in casu plures eiusmodi timores locis diversis et ab invicem remotis affuerint, quorum adeo unus in suppurationem abierit, quum in dispositione rheumatica, syphilitica, vel scrophulosa, qualem puella nostra prae se tulit, tumores cystici catervatim, si ita dicam, occurrere, et iisdem de causis, etsi rarius id accidat, in suppurationem determinari possint. Quot interim ab altera parte sint utriusque morbi affinitatis notae, totidem et plures ab altera rationes me prohibent, quo minus utrumque malum pro eodem habere possim. Etenim primum tumores cystici iam eo a similibus discrepant, quod proprio sacco, eodemque aut celluloso contextu, aut folliculo mucoso, aut propria quarundam partium membrana formato circumdantur, qui materiam singularem variae consistentiae, et in steatomatibus, quibuscum tamen nonnisi res esset, adipi similem continet.

Nec vero illorum tumorum in disquisitione substantia adiposa apparuit, nec qui eam includeret sacci rudimentum, sed contra omnes eandem ac cutis compagem exhibentes ita in ea desierunt, ut nonnisi aucta crassitie eorum initium discerni posset. Licet autem steatomata sub

spuriorum nomine *) veniant, quae sacco orba nec distinctis finibus circumscripta cum musculis vel iis partibus, e quibus ad ingentem saepe altitudinem ascendunt quasi et luxuriant, arctius connectantur, eadem tamen in universum iis est substantia, ac veris, quaeque musculis ipsis sese non altius immiscet, eosque deformat, utut faciei in tumore factum fuisse monuimus. Dein et illud ad stabiliendam distinctionem accedit, quod in aegrota nostra tumores a prima fere origine rubedine superfusi fuerint, quod steatomatibus demum accidit, quando ad altiorem voluminis gradum evecta sunt; ut ipsas tum quoque coloris differentias taceam, quae utrumque malum intercedunt. Denique etsi ex suppurante steatomate non laetior eventus sperandus fuisset, praesertim quum non localis affectio sed universalis cachexia ansam dederit, ipse tamen supurationis modus a solito steatomatum alienus ahhoruisse dicendus est, quae, aperta alias inflammatione praevia, pravam saniem, et ex sinibus plerumque in gangraenam propensis, effundunt.

Quemadmodum autem inter steatomata *scirrhumque verum* tantum similitudinis obtinet, ut utraque, praesertim ubi nascuntur tempore, necdum magnitudinis quen-

*) K. G. SCHMALZ, *Versuch einer medic.-chirurg. Diagnostik in Tabellen.* edit. 3, 1816, Lupia spuria 183.

dam gradum nacta sunt, non raro ab invicem discerni nequiverint, ita vice versa, propter laudatam modo steatomatum cum casu nostro affinitatem, scirrho etiam aliqua convenit, quae igitur silentio non transeunda est. Communis fere scirrho est originis et increscendi modus, dum simili forma circumscriptus lente progreditur, et initio mobilis cum partibus postea, quae circumdant eum, conrescit, dumque dura eius compages prementi digito resistit, vixque dolorem excitat, et denique superficies tetro colore obtegatur. — Etiam si vero a scirrho interdum partes corripantur, quarum structura minime glandulosa est, v. gr. oculus, penis, ventriculus, glandulosae tamen prae ceteris partes eo affici solent, quarum structuram plane incolumem conspeximus, dum adeo affecti lateris parotis intacta mansisset. Scirrhus verus praeterea, dum coepit certe, unam tantum non semper partem occupat, eiusque solum in decursu plures interdum gignuntur; inaequalior eius plerumque superficies serius demum, ubi in cancerem apertum transire minatur, sese decolorat, quo tempore, si hucusque abfuerint, pungentes etiam aut urentes dolores oriuntur. — Nec minores symptomatum se offerunt differentiae ubi cancer apertus apparet. Oritur enim sub insigni haud raro scirrhi incremento ulcus foedum ac dolorificum, cuius superficies marginibus callosis et revolutis cincta, fungosis vel duris excrescentiis,

sanguinem facile effundentibus, obsita est, foetidumque ichorem emittit, quoquo manat pestem parantem.

Praeter sufficientem hanc discrepantiam, cui fortassis et substantiae varietas annumeranda est, illud accedit, quod omni signorum diagnosticorum enumeratione levare me potuisset, quod verus cancer, etsi foemineo sexui in universum quidem infestior, nunquam tamen ante pubertatis periodum invasionis signa reddit.

Itaque iam iam ad alium morbum examinandum et distinguendum cogimur, cuius invasio minus certis, quantum equidem scio, aetatis terminis adscripta est, quique, tametsi in nulla non corporis humani parte obviam venerit, in celluloso tamen contextu constipatisve ex eo organis sedem figere praefert, *fungum haematodem* inquam, quem propter symptomatum aliquam propinquitatem cum ipso cancro diu commutarunt. Ne autem eorum logomachis immiscear, quibus *fungi haematodis* et *fungi medullaris* inter nomina, ut quibus alii ad unum idemque malum designandum promiscue utuntur*), distinguere, variosque iis status denotare placet, satius reor, ut utriusque mali, *fungi haematodis* nomine venientis, mentionem faciam, et qua ratione a nostro differat memorem.

*) F. MECKEL, *Handbuch der patholog. Anatomie.* Leipz. 1818, Bd. II, Abth. 2, p. 297.

Quodsi hoc sub vocabulo is status intelligitur, in quo aut tumor subter ea mollis, elasticus, fluctuationisque tactum mentiens, lata basi tollitur, qui a prima origine dolens cutem expandit, quin ullum tamen eius ruborem aut degenerationem provocet, magnitudinisque metam celeri cursu optatam nactus, tensam attenuatamque cutem inque superficie inflammata rumpit, sique porro fungosa substantia inde pullulat, quae principio friabilis atque pallida, deinceps mollescit, cerebroque fit similis *), tunc per se patet, ne remotissimam quidem similitudinem huic morbo cum ea, quam describimus affectione concedendam esse, cum omnia ad integrum symptomata contraria atque opposita videamus.

Verum enim vero si fungi haematodis verbo *telangiectasiam* significare lubeat, quam *aneurysma spongiosum*, *aneurysma per anastomosin*, aliique aliter nuncupant, primo quidem aspectu aliquid similitudinis in eo quaeri posset, quod quicumque nostrae aegrotae tumores dolore fuerint destituti, et, praecipue qui genam occupaverat, quem insuper locum prae aliis telangiectasia invadere solet, eiusmodi formam atque imaginem prae se tulerint, ta-

*) C. FR. HEUSINGER *System der Histologie*. Eisenach 1822, p. 96. — —

C. F. E. BARTCKY, observatio singularis fungi medull. in corde. pp. 16, 22. Halis Saxonum 1821.

meti harum differentias omittamus, ceteris tamen, quae telangiectasiam comitantur, signis rite perpensis, sat discriminis enitet. Namque enim spongiosum, laxum, mollemque tactu tumorem constituit, qui facta compressione coarctatus, a motis digitis iterum tumet, inque imò fluctuare videtur; eoque sponte aut inscia manu aperto sanguis veluti ex sponsia guttatim prolabitur et fungosae cruentaeque excrescentiae inde luxuriant.

Nec possum, quin hac occasione tumoris mentionem faciam, quem ALIBERT *) in foemina observatum sub nomine *Scrophule cancreuse* depictum nobis tradidit, cui maxima similitudo cum aegrotae nostrae tumore, qui genam obsederat, non deneganda est. Quod enim externum eius habitum attinet, sede, et magnitudine, et colore iisdem fere gaudet, quin adeo parem cognosceres, nisi forma eius aliquid deflecteret, quae, etiamsi eo temporis momento cum nostro comparemus, quo in medio exulceratus, in reliquis locis sulcis, ut diximus, quasi exaratus erat (Tab. II.), inaequalior conspicitur, et in tubercula singula magis distincta. — Quamvis vero illius foeminae morbi historia indigeamus, ut, siquidem haec vilioris momenti varietas sola non sufficit ad certum utriusque mali discrimen faciendum, uberiores differentiae notas eruere.

*) I. L. ALIBERT, description des maladies de la peau. — Livrais. IV, p. 228, planche 48.

possimus, ex ipsa tamen iam tumoris, qualis fuerit, descriptione, quam ideo adlegabo, satis concludendum videtur, eundem a nostro discrepasse. Haecque enim fere ALIBERTI sunt verba: "Tumeur scrophuleuse degenerée en cancer d'une couleur bleuâtre violée. Elle étoit recouverte d'une multitude de tubercules, qu'on pouvoit séparer par le scalpel. La substance étoit lardacée et couenneuse. Cette consistance n'empêchoit pas le sang de couler par une multitude de vaisseaux. La glande Parotide avoit la dureté du cartilage. L'intérieur de la bouche étoit ulcérée et mammelonnée. L'arcade dentaire disparoissoit dans cette masse degenerée. L'agonie de cette femme fut longue. — Un long affaïsement avoit précédé sa mort." Ex modo allegatis enim apparet primam huius mali originem, sin minus ALIBERTI denominationem ineptam recusare velimus, in glandula aliqua chronice inflammata coepisse, indeque ad vicinas, quod tumoris vastitas probat, partes transiisse easque in conspirationem quasi vocasse; in nostra autem aegrotâ, etsi habitu scrophuloso exstructa, nunquam glandularum lymphaticarum tumores affuerunt, et neque faciei tumor, neque in extremitatibus qui conspicui erant tumores, glandularum degeneraciones ut causam arguere potuerunt, quum ipsa in cute inciperent, et locis insuper glandulis non uberibus. Tum vero glandulam parotidem cartilaginis instar induratam fuisse legimus, quam ab omni degeneracione liberam mansisse, nos quidem sectio docuit. Accidit denique, quo memoratus casus a nostro differt, quod tubercu-

lorum, quae tumorem componerent, substantia lardacea fuerit, eaque ratione steatomatibus propior. — Ceterum memoratu dignum est, hac quoque degeneratione non prohibitum fuisse, quo minus sanguis effunderetur; et admodum doleo, non integram morbi historiam nobis relatam esse, ut cum nostra accuratius componere possem.

Quodsi vero nostro in casu ad partes affectas ipsiusque morbi initium ac decursum respicere libeat, quippe qui universali ex cachexia oriundus solam cutem primum cum substrata tela cellulosa aggredieretur, inque iis tubera produceret, quae squamis aut crustis obtegerentur, inque ulcera, ossa tandem ipsa herpetis exedentis instar erodentia, transirent, (quamvis id strictius de faciei nonnisi tumore valeat) vix inficias ire possumus, eundem illorum morborum aliquam speciem prae se tulisse, qui diuturna labe cutem affligentes, chronicorum exanthematum seu impetiginum nomine comprehenduntur; neque ineptum igitur, neque a re alienum facere mihi videor, dum eorum, quem a nostro proxime distare iudicavi, examinem et distinguam.

Et principe quidem loco ex iis impetiginibus, quae cutem non modo maculant, aut exasperant, sed tuberibus quoque nodisve tollunt, siquidem his regionibus hospes, Scandinaviae ille morbus, quem *Radesyge* vulgo appellant,

[6*]

nominandus est, ut cui ex leprosis, quibus annumeratur*), morbis maxima similitudo competit. Oriuntur enim, ut HOLSTII**) auctoris verba mea faciam:” noduli et tubercula cuprea, quandoque plumbea, initio mobilia, dein fixiora, quae primum et largissime faciem, sc. palpebras, nasum, genas, mentum, labia auriumque conchas, tunc reliquum corpus deturpant. — Ipsa vero haec tubera vel inde ab initio apices veris squamulis obsessos exhibent, vel saltem ad squamas formandas proclivia, pedetentim squamis obteguntur tota, aut in maligna ulcera degenerant. — —

Efformata itaque iam sunt ulcera saepe aperta, quae marginibus dūris, callosis, tumidis, inaequalibus praedita, laticem rubicundum, e pedum sudore foetentem acrem fundunt, partesque circumiacentes depascunt, saepius vero crustis squamosis albidis, fuscis, rubidis, oblecta inveniuntur, neque raro cutem inter se positam rugis, sulcis, fissuris interstinctam, pilisque orbatam exhibent. — Consummatum denique et ad summum perductum morbum pessima indicant ulcera, quae, cute aliisque mollibus par-

*) A. G. RICHTER, *specielle Therapie*, Bd. VI, p. 466.

**) FR. HOLST, morbus quem Radesyge vocant, quinam sit quonamque ratione e Scandinavia tollendus, commentatio. Christianiae 1817. p. 18.

tibus haud amplius contenta, iam ipsam denique osseam compagem aggrediuntur”.

Etsi etiam ad augendam utriusque morbi similitudinem eorum*) a partibus esse velis, qui nullis praegressis signis cutis deformationes gigni testantur, quibus tamen idem auctor valdopere contradicit, larga nihilominus argumenta discrimini evincendo se offerunt. Inter ipsam enim cutis externae affectionem, aut in ulteriori tamen morbi, crebris acerbisque artuum doloribus vexantis, decursu, fauces iam eadem mala patiuntur, dum uvula, tonsillae, velumque palatinum maculosa, tuberibusve aspera, tandemque pessimis ulcusculis obsita cernuntur, quae ad vicina ossa penetrantia, palatum durum, vomerem ossaque nasi carie exedunt. Collabescit itaque nasus, oriturque vox nasalis, tenuis, quin loquela, difficulter intelligenda, tandem ob organorum plenam destructionem penitus abolitur. —

*) I. GISLESEN, diss. inaug. de elephantiasi Norvegica. Hafniae 1785.

C. F. ALANDER, diss. inaug. de morbo cutaneo luem veneream consecutivam simulante. Upsaliae 1806. p. 8.

I. VOUGT, diss. inaug. sistens observationes in exanthema arcticum vulgo Radesyge dictum. — Gryphiae 1811. pp. 8. et 17.

Porro, ut *HOLSTIUS* refert, capilli aliarumque etiam partium crines defluere solent, quidquod? digitorum articuli carie soluti interdum secedunt. Atqui haec mala, maiori nonnisi morbi gradui accedentia, non certa ideo differentiae signa reddere, si quis est, qui dicat, ei et respiciendum adiicio, nunquam, quantum legisse memini, ad tantam vastitiam cutanea in hoc morbo tubercula evehi, nostroque in casu ulceris margines, siquidem inaequales, et ut ipsa tumoris substantia duras, non tamen tumidas fuisse, pus vero nec tam pravae, qualis describitur, fuisse indolis, nec eiusmodi foetorem spirasse; sicuti et contagiosa morbi leprosi vis a malo nostro aliena abfuit.

Altero quasi loco de *morbi syphilitico* verba facienda sunt, qui quamvis quoad naturam suam impetiginum in classem proprie non pertineat, non ita raro tamen impetigines aliasque cutis deformationes producit, quae varia, pro variis rerum conditionibus, forma indutae, nunc manifestiores nunc obscuriores magisque reconditas originis notas reddunt. Verum enim vero hoc malum, de quo agimus, syphiliticum fuisse, nulla parentibus fide habita, qui nunquam illa lue sese affectos fuisse constanter asseverarent, ipse genuinus morbi venerei progrediendi modus ulcerumque a nostra discrepans forma refutat. Exortam enim post locales affectiones universalem luem laesae de-

mum fauces nuntiant, raroque accidit*), ut cutis affectiones, plerumque quidem eas excipientes morbique inveterati comites, aut certe cum iis synchronae, faucium affectiones praegrediantur. Quodsi in eo decursu moderando ac mutando multum quidem temperamento constitutioni, coelo, veneni viribus, locisque primo affectis dandum sit, hisce conditionibus bene pensitatis, tantum abesse mihi videtur, ut insolitae talis morbi formae evolvendae rationem continuerint, ut potius glandularum lymphaticarum tumores vastasque exulcerationes ex venerea infectione orturas fuisse credam, quum habitum scrophulosum, quem cum sororibus infans hereditaverat, ea in re periculosissimam cum syphile complicationem ingredi tot experientissimorum medicorum scriptis constat. Sed non modo deflectens a solita syphilis via morbi nostri incessus, non modo suspectorum aliorum symptomatum, luem comitantium, absentia, quin et ipsius ulceris aspectus syphiliticae affectionis suspicionem penitus tollit. Ulcera enim syphilitica vel cum macula intense rubra, quae in pustulam seroso latice impletam, elevata rumpitur, vel cum tuberculo rubicundo, quod ruptum excoriatur, incipiunt, orisque rubris, dentatis, serpentinis, et fundo lardaceo, materia alba, compacta, eaque singularem foetorem spargente, oblecto gaudent.

*) A. G. RICHTER, l. c. Bd. V, p. 236.

Quum pertractatos hucusque morbos et suae indolis et formae ratione nostro a casu discrepasse viderimus, liceat mihi, ut quae de eius natura cogitaverim proferam atque communicem. In indaganda quidem ea atque cognoscenda tria praesertim momenta attentione digna mihi videntur, primum scrophulosa infantis constitutio, dein causae morbi occasionales, et denique ipsae eae deformationes, quas sectio nobis aperuit; quorum proximum, ut quod ceterorum vim magis illustret, prius recensendum est. Quodsi ad ea, quae sectio exhibuit, animum attendimus, fugere nos nequit, propriam huius morbi sedem in tela cellulosa, et praesertim subcutanea positam fuisse, hancque inde telam eo modo vitiosam exstitisse, ut, volumine aucto, in maiorem cohaerentiae gradum increverit; substantiam enim muscularem, quam in facie correptam et aequae mutatam memoravimus, serius demum morbosa affectione participasse, in aprico est, quum genae tumores, qui postea in unum coaluerant, in cute quasi incepissent, et, priusquam ad tantam magnitudinem ascenderant, aequae mobiles reperirentur, ac ceteri extremitatibus insidentes. Ex hac etiam callosa fere contextus cellulosi duritie explicatu non est difficile, neque tumores, neque faciei ulcus, quamvis latum ita et profundum, fere unquam dolorem excivisse. Hancque ipsam vero morbosam telae mucosae formationem, qualem sectio exhibuit, cum ea comparantes, quae in morbo sub nomine *indurationis te.*

lae cellulosae, Skin bound, induration du tissu cellulaire cognito, reperitur; negare non possumus, ita exacte utramque congruere, ut generaliori quidem respectu noster casus, siquidem non certae cuidam morborum speciei adscriptus pareat, illo nomine significari mereatur. Liceat hac occasione verba innectere, quae HORN*) de illo statu facit: "Wenn man die Haut an den verhärteten Stellen durchschnitt, so zeigte sie sich merklich verdickt, zuweilen 3 bis 4 mal dicker wie die Haut welche die benachbarten Theile überzog. Die Textur der Haut schien ungleich härter und fester als im natürlichen Zustande zu sein und beim tiefen Einschnneiden lief eine wässrig lymphatische Feuchtigkeit**) in bedeutender Menge heraus, welche bald dicklich eiterartig, bald lymphatisch erschien. In einigen Fällen fand man noch unter der Haut eine bedeutende Menge Fett von fester körniger Beschaffenheit." — — Qua analogia perducti, cum cetera huius morbi phaenomena perscrutamur, v. c. tumorem, duritiem, par-

*) HORN *Archiv d. pract. Medicin und Klinik. Berl.* 1810, p. 125. —

**) Lymphatici laticis, cuius aliquot guttas profluentes vidimus, in dissecatione profluvium Angliae praecipue medici non observarunt, cuius rei causam illustr. MECKEL (l. c., p. 16.) in maiorem eius coagulabilitatem fert.

tiumque induratarum, ut a quibusdam auctoribus describitur, colorem, in his etiam similitudinem locum habere fatendum est. In variis enim corporis partibus praecipue autem in extremitatibus, genis ac pube, cutis induratur ac tumet, ita ut extremitates, potissime inferiores, incurvatae esse nonnunquam videantur, pedumque plantae convexae appareant; partes induratae ex digiti pressione foveam non relinquunt, et colore purpureo, violaceo, interdum quidem et pallido subflavo tinguntur*). —

Nihilominus tamen tantum abest, ut strictiori sensu casum nostrum telae cellulosae indurationi adnumerem, ut potius, cum nulli morborum speciei eundem respondere mihi persuadeam, mutationum morbo productarum ratione habita, sub generaliorem tantum illo titulo eum complecti velim. Etiam si enim rariora a scriptoribus**) exempla notata invenimus, in quibus infestissimum hunc neonatis morbum post vehemens corporis refrigerium adultos

*) I. W. H. CONRADI, *Grundriss der Pathologie und Therapie*. Marburg 1819. Th. II. p. 562.

***) A. HENKE, *Handb. zur Erkenntniss und Heilung d. Kinderkrankheiten*. Frankf. a. M. 1818, Bd. I, p. 198.

HUFEL. u. HIMLY *Journal d. prakt. Heilk. u. Wundarzneik.* Berlin 1809, Stück V. May.

etiam invasisse allegatur, eadem tamen, tum loci affecti ambitu, tum morbi ipsius decursu, ita a nostro differunt, ut cum eodem nequaquam componi queant.

Verum enim vero si ad inquirendam et investigandam morbi naturam, constitutionem puellae propriam respicere placeat, in scrophulosa eius diatesi huius mali seminium absconditum fuisse, non est, quod dubitemus, nec absolum videbitur, quod idem, tametsi nulla conglobatarum glandularum vitia occurrerint, pro singulari scrophularum progenie et modificatione habeamus. Ne igitur enumerandis diversissimis virorum doctissimorum theoriis, quibus ad explicandam telae cellulosaе indurationis pathogeniam operam navarunt, dum alii ex spasmo telae cellulosaе tonico alii ex imminuta vi vitali et praesertim cutis functione turbata, aliique aliunde causas repeterent, tempus inutiliter teramus, cum eadem nostrum in casum minus applicandae sint, non diutius reticendum arbitramur, causam huius indurationis proximam in inflammatoria quadam irritatione quaerendam fuisse, quae in scrophulosis constitutionibus tam saepe obvia crebrius etiam, quam ipsa inflammatio indurationes gignit atque alit. Quod eo probabilius videbitur, dum localium nostrae aegrotae affectionum originis, incrementi et in suppurationem exitus non obliti, earum mutationum memores sumus, quas vera scrophulosorum individuorum inflammatio, in indurationem pronissima, producit, qua de re virorum celeberrimi-

[?*

morum testimonio uti liceat*): les inflammations dépendantes d'une diathèse scrophuleuse sont, plus que toutes les autres, disposées à se terminer par induration; chez les scrophuleux, les puissances de la vie paraissent n'avoir pas assez d'intensité pour procurer une franche suppuration. Alors on voit que le tissu de la partie qui a été enflammée est grisâtre, lardacé, dur et engorgé. Il conserve cette apparence pendant un temps plus ou moins long, et souvent durant bien des années. Mais quelquefois un nouveau travail commence et la suppuration s'y établit, ou le cancer se déclare".

In irritatione inflammatoria non secus ac in aperta inflammatione lymphæ coagulabilis in partibus substantiam infunditur, quæ interstitiis impletis singulas eius particulas conglutinat quasi unamque in massam redigit, cuius quo maior quantitas extravasata est, eo maior temporis decursu in veram telæ cellulosæ compagem sese mutandi proclivitas animadvertitur**). Nec vero absimile est faciei musculos propter prolicitam hoc modo lymphæ extravasationem et stagnationem metamorphosin dictam subîsse, dum

*) Dictionnaire des sciences médicales, 1818, Tome 24, p. 387.

***) I. F. MECKEL, *Handb. d. patholog. Anatomie.* Th. II, Abth. 2, p. 26.

partim functione prohibita, partim mutata nutritione*), in prius quasi formationis stadium regrederentur.

Quam tamen illam inflammatoriam irritationem sive scrophulosi virus, quod quidam statuunt, illis in locis depositio, sive alius, isque incognitus nobis stimulus primam ei ansam dederit, cum scrophulosa saltem infantis dispositione intimo nexu fuisse, descriptique mali extitisse auctorem, praeter analogam, quam modo laudavimus, ex vera scrophulorum inflammatione mutationem, tum aliarum causarum absentia, tum eorum potissime momentorum praesentia probat, quorum influxu habitui scrophuloso magis explicando talique metamorphosi provocandae occasio larga daretur. Nam quaecumque fuerit exanthema, quo quarto aetatis anno puella laboraverat, ad scrophulosam certe dispositionem evolvendam, id, quod


*) HEUSINGER (l. c. p. 100) ait: *“eben so merkwürdig ist es, wie enge die Thätigkeit eines Organs mit dem Gewebe desselben verbunden ist; ein nicht gebrauchter Muskel wird z. B. wieder zum Bildungsgewebe, dagegen entwickeln sich Gewebe durch den Gebrauch der Theile, ein viel gebrauchter Muskel wird reicher an Fasern, Schleimbeutel entwickeln sich an den Sehnen vielgebrauchter Muskeln “et paulo inferius” die allhäufigste Metamorphose der Gewebe wird bedingt durch das verschiedene Verhältniß der Gefäße, und des Bluts in den Geweben.*

post plurimos eiusmodi morbos deprehendimus, non parum fecisse videtur, ut ex scrophulosa impetigine, quae non ita multo post caput obduceret, satis manifestatur. Quae quamvis impetigo non magis, quam succedentes ceterarum partium affectiones, universali corporis cachexia producta esset, vix tamen dubito, quin celeri fuga, quam abscissis comis parabat, aliquid contulerit, ut forma quidem deflectens malum, sed quoad naturam idem, alios cutis locos serius occuparet.

Interim in eo bonam culpae partem in propriam fortasse cutis organisationem in relictam ab exanthemate cutis debilitatem, et ipsas sordes in quibus eiusmodi homines vitam degunt, ferre debemus. — Verum enim vero si perpendimus, aegrotam infantiles annos egisse, in quos propter laxiorem telam cellulosa ceteris paribus eiusmodi deformationes facilius incidunt, eamque adeo in tali aetatis periodo fuisse versatam, qua habitus scrophulosus magis magisque evolvi solet, potius etiam haec sententia firmari et comprobari videtur.

Et ex hac scrophulosi mali indole cetera quoque phaenomena, ut crustarum formatio*), imo et totus morbi decursus facillime explicari possunt. — —

*) A. G. RICHTER, spec. Therap., B. 6. p. 37.



T.I.



W. Eberlein del.

J.C. Grapo sc. Götting.



W. Eberlein del.

H. C. Grapese f.

